



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Dei erga mundum magnum & parum, cura monstratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

dis, qua Dei sunt, omnia auxilia conquiram: sed ita, ut non in externis adiuventis spem meam, sed in ipso Deo bonorum omnium effectore constitutam putem. Quod si, inter hæc subsidia efficiendisq; instrumenta, se unum esse vult, libenter eo utemur: sed ita demum, si intelligat, nos ab uno Deo pendere, Deo non hominibus niti. Id ut faciamus omnes, multa nos exempla docent: è quibus pauca seligam.

III.  
S. Ioan. Damascen. l. de Vita Barlaam & Iosaphat. Iacobo Billio Prunæo interprete.

Atque in primis illud, quod D. Damascenus, ad Conseruatoris agnitionem, egregiè explicat. Nam cum naus, remoto Gubernatore, consistere nequeat, verum statim pessum eat; nec vlla, quantumlibet exigua, domus stare possit, nisi sit aliquis, qui ipsius curam gerat, quo nam tandem pacto mundus, opus vsq; adeo ingens, atq; ita præclarum & admirandum, sine eximia aliqua, & ingenti atq; admiranda gubernatione, sapientissimæque prouidentia, tam diuturno temporis spatio, constitisset? Ecce enim quantum iam temporis fluxit, ex quo cælum est, nec tamen obscuritatem contraxit; nec terra vis tam diu pariens elanguit; nec fontes, ex quò orti sunt, scaturire destiterunt, nec mare tot fluuios excipiens mensuram suam excessit; nec solis ac luna cursus immutationem vllam subierunt; nec diei ac noctis ordines inuersi sunt. Quod si Deus elementis adest, si terræ prouidet, si maria curat, si totam Mundi domum tam diu, tam accuratè sustentat, Mundo ipso nec sentiente, nec pro se sollicito; quid sperare poterit homo, cuius causa & elementa, & totus hic orbis est creatus? Qui sepem curat, an hortum negliget? Qui sementi vigilat, num dormiet messi? aut pilum quàm pellem pluris faciet?

I V.  
Photius biblioth. cod. CXCVIII. Rosveid. lib. 5. citat.

Cùm autem tanquam cõmunis parens omnibus prouideat, maximè tamen curam gerit eorum, qui aliunde deseruntur. Laudat Photius Patriarcha Constantinopolitanus, *Sanctorum virorum librum*. Græco auctore incerto conscriptum, in cuius libri septimi fine, apud Rosveidum, senem iunior interrogat: *Si fuero in aliquo loco, & nata fuerit mihi tribulatio, & nõ habuero, cui me cõmittam, & indicem passionem animi mei, quid facio?* Cui senex respondet: *Crede in Deo, quia ipse mittet Angelum & gratiam suam, & ipse tibi est consolatio, si in charitate rogaueris eum.* Quibus verbis addidit, audiuisse se, in Scithi, aliquando ciuiscæ rei hoc exemplum contigisse. Ibi enim Ascetam multis vexatum tentationibus, cum non haberet, cui vel animi tumultum aperiret, sedandumque præberet; vel apud quem peccata confiteretur, sub noctem, iam capisse pa-

rare